

te, nihil plus quærentes quàm ut attendant doctrinæ. Intellige quoq; per Martham uitam practicam, per Mariam contemplationem. Practice enim distractiones & turbationes fert; contemplatio uero domina fit affectionum. Maria enim domina interpretatur, ac in sola diuinorum eloquiorum & iudiciorum contemplatione occupata est. Animaduerte autem & hoc, quod assidet iuxta pedes Iesu, & audit sermones eius. Etenim per pedes intelligunt uirtutem practicam, motum enim & incessum ostendunt. Porro sessio, firmitatis symbolum est. Quisquis igitur sederit iuxta pedes Iesu, & confirmatus fuerit in practica, ac imitatur uitam & conuersationem Iesu, ille postea uenit ad auditum diuinorum sermonum, uidelicet contemplationem. Quia & Maria primum sedet, deinde audit sermones. Tu igitur si quidem potes, in ordinem Mariæ ascende, & has domina affectionum, & ad contemplationem uenies. At si hoc tibi non fuerit possibile, Martha esto, practice parti addictus, & per hoc Christum suscipiens. Vide autem hoc: Quæ non auferetur ab ea. Practicus enim habet quod à se auferatur, hoc est distractionem & occupationem; proficiendo enim uenit ad contemplationem, liberaturq; à turbatione & distractione, & ita aufertur aliquid ab eo. Contemplator uero non priuatur hac bona parte, contemplatione scilicet. In quod enim maius aliud proficeret, ubi in hoc uenerit fastigium, diuinam dico uisionem, id quod est deificari. Qui enim dei uisionem assequitur, deus fit. Simile enim simili comprehenditur.

CAPVT XI.

Matth. 6.



Ita factum est quum oraret quodam in loco, ut cessauit, dixit quidam ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, sicut & Ioannes docuit discipulos suos. Et ait illis: Quum oratis, dicite: Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, ueniat regnum tuum: fiat uoluntas tua quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & remitte nobis peccata nostra, siquidem & nos remittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Imitatur discipulus Christi discipulos Ioannis: idcirco & querit ut doceatur, modum orationis. Saluator autem non repulsa discipuli prece, docet: Pater noster (inquit) qui es in cœlis. Vide orationis uim, statim sursum te ducit: tibiq; persuadet, quoniam nominas deum patrem, ne omnino si similitudine eius careas, sed enitaris fieri similis patri. Nō dixit autem, pater meus: sed, pater noster: ad fraternitatis amorem nos cohortans & cōpellens omnes diligere tāquam cōmunes fratres. Porro quum dixisset, in cœlis, non deum illic circumscribit, sed auditorem in cœlis subuehit, & à terrenis abducit. Sanctificetur uero nomē tuū, pro eo quod est glorificetur: hoc est, fac uitam nostram in tuam esse gloriam. Nam scilicet propter malos blasphematur, ita propter eos qui bonam agunt uitam glorificatur. Veniat regnū tuū. Malus deprecatur regnū dei, nolens illud uenire propter iudicia quæ tunc erunt: iustus uero orat, ut citò ueniat, quo à tentationibus quæ hic sunt, liberet & quiescat. Fiat autem uoluntas tua, quemadmodum in cœlo ab angelis: ita & à nobis hominibus super terram. Angeli enim omnino iuxta uoluntatem dei operantur. Docet quoq; quotidianum panem solum quærendum, hoc est eum qui substantiæ nostræ, & uitæ conseruandæ conducit: non superfluum, sed necessarium. Porro nō intrare in tentationes, significat non temere proficiendum in tentationes. Neq; enim orare debemus deum, ut immitat in tentationem, sed deprecandæ sunt: & si nobis acciderint, ferendæ fortiter. Dicere autem possumus, quod duo sint genera tentationum. Aliæ enim sunt uoluntariæ, ut ebrietas, homicidium, adulterium, aliæq; affectiones. Hisce enim tentationibus sponte nos submittimus. Inuoluntariæ uero sunt, quibus tyranni & ualidiores nos subiiciunt. Igitur à uoluntarijs tentationibus, hoc est affectionibus fugere nos oportet, & eas deprecari & dicere, ne inducas nos, hoc est, ne permittas nos incidere in tentationem, hoc est uoluntariam tentationem. Sed libera nos à malo. Hic enim est qui & uoluntarias, & inuoluntarias infert tentationes. Ideo qui tentaris ab homine & uim pateris, ne putes hominem esse tibi autorem tentationis, sed malignū. Ille enim est, qui

fratri persuadet, ut in te sauiat & insaniat.

Et ait ad illos: Quis uestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice da mihi mutuo tres panes: quoniam amicus meus uenit de uia ad me, & non habeo quod apponam illi. & ille intus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi: Dico uobis, etiam si non daturus sit illi surgens, eo quod amicus eius sit: propter improbitatem tamen eius surget, ac dabit illi quotquot habet opus.] Parabolam hanc & exemplum dicit dominus, erudiens nos ne segniter oremus. Quid igitur uult parabola? Media noctem quidē inquit esse extremū uitae, ad quod quum homines peruenerint, sensum boni accipiunt, & ad deum festinant: qui amicus est, omnes diligens, & omnes uolens saluos fieri. Igitur multi accedunt in media nocte, hoc est in extrema uita ad deum, ut ad amicum. Et dicunt ei: Da tres panes, hoc est, fidem in trinitate. Amicus enim meus aduenit, hoc est angelus qui animam assumit. Amicus autē & omnis angelus, sicut & dominus dixit, quod gaudium factum est in caelo de salute hominis. Pueri autem qui in lecto quiescunt, sunt hi qui conuersi sunt, & facti sicut pueri, & digni habitu sunt qui quiescerent cum domino. Impudentiam autem & improbitatem, dicit orationem attentam cum sustentia. Intellige & aliter, per mediā noctē, ingentem tentationem. Nox enim omnis tentatio: media autem nox omnis tentationis feruor. Igitur quum quis in media tentatione peruenerit, accedit ad deum nos diligētem, & dicit: Commoda mihi tres panes, salutē corporis scilicet, & animae, & spiritus. Time enim ne tria haec periclitentur. Quis autē amicus est, qui uenit de uia: uel omnino dominus, qui probat nos, & audis est edendi de salute nostra. Non habet autem, quod apponat amico, qui in tentationes inciderat, & infirmus per se ut obstitat illis, & curet ea quae sunt dei. Claudī autem ianuam, signat quod oporteat ante tentationes nos esse praeparatos. Quum autem inciderimus, clausa est praeparationis ianua. Et qui inueniuntur impraeparati, nisi deus adiuuerit, periclitabuntur. Pueri autem (sicut prius dictum) hi sunt qui per uirtutem facti sunt filij dei, & recumbunt ac quiescunt cum deo.

Et ego dico uobis: Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Quis autem ex uobis pater, a quo si filius petierit panem, num lapidem dabit illi? aut si piscem, num pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ouum, num porriget illi scorpionem? Si ergo uos quum sitis mali, nostris bona dona dare filijs uestris: quanto magis pater uester qui est in caelis, dabit spiritum sanctum poscentibus se.] Videte uerborum diligentiam. Non dixit, petetis, & dabitur: sed, petite, hoc est continuo quærite. Omnis enim qui petit, accipit. Nunquid ergo & qui petit quæ non expediunt, accipit? Non. Primo igitur rerum noxiarum petitio, non uocatur petitio apud deum: nam qui deum orat, debet petere quæ ille dat. Quando autem quis noxia petit, non ad deum petitionē facit: ipse enim noxia nō dat. Insper audi & ipsum dominum, quomodo doceat nos petere quæ oportet. Panem (inquit) & piscem, & ouum filius petit. Sicut igitur haec hominis sunt ciuitates, ita & petitiones nostrae utiles nobis esse debent. Intellige hic, quod panem petat omnis qui fidem in trinitatem, & rectitudinem dogmatum reuelari sibi petit. Haec enim cor sicut panis confirmant. At piscem petit, qui in mari uitae huius est, & quærit a deo adiutorium, ut in medijs tentationibus non submergat, sed uiuat, & sicut piscis custodiat. Ouum autem petit, qui sibi uirtuosarum animarū fructus dari petit. Quæ sanè animae auius iure conferuntur, quia alas sumpserunt, & spiritu alleuiatae super terrena se se extulerunt.

Et erat eiciens daemonium, & illud erat mutum: quumque eiecisset daemonium, locutus est mutus, & admiratae sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: Per Beelzebul principem daemoniorum eicitur daemonia. Et alij tentantes, signum de caelo quærebant ab eo. Ipse autem quum sciret cogitationes eorū, dixit eis: Omne regnum aduersus se ipsum diuisum desolatur, & domus super domum cadit. Quod si satanas quoque aduersus seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius: quia dicitis, per Beelzebul eijce-

re me dæmonia. Quod si ego Beelzebul præsidio eijcio dæmonia, filij uestri cuius præsidio eijciunt: Ideo ipsi iudices uestri erunt. Porro si digito dei eijcio dæmonia, profecto peruenit ad uos regnum dei.] *κωφός*, mutus frequenter dicitur, qui non loquitur: dicitur autem & qui non audit: proprie uero, qui neq; audit, neq; loquitur. Et sanè qui à natiuitate non audiunt, hi etiam non loquuntur necessario. Illa enim loquimur, quæ per auditū loq didicimus. Quādo autē quis nō audit, nō mirū si neq; loquat. Verū secus est, si casu offenda cuiuspiam auditus. Nā eum qui talis est, loqui prohibet nihil. Vnde qui ad dominum adductus, & lingua, & auribus impeditus erat. Figura autem hic est humanæ naturæ, quæ à dæmonibus detenta, non audire potest sermonem dei, multoq; minus eloqui ualeat. At dominus ut uenerit, dæmonesq; effugarit, dæmoniacas affectiones & opera inquam, fecit nos audire & eloqui ueritatem. Oportet enim nō solum audire sermones dei, sed & alijs loqui. Audiamus igitur qui habemus in nobis diabolica opera, & putamus nos docere alios, & cupimus ab hominibus salutari rabbi. Egresso enim dæmonio, uerus sermo & doctrina fit. Quādiu autem intra nos fuerit dæmonis operatio, etiam si uideamur loqui, non loquimur. Pharisei sanè miraculum arguunt, & dominum ut magum contumeliā afficiunt. Dicunt enim eum habere amicum principem dæmoniorum, atq; illius cooperatione eijcere dæmonia. Ad quos dominus: Quomodo (inquit) potest dæmon eijcere alium dæmonē? hoc enim esset destructio regni eius. Siquidem regnum illi putat & quietem, habitare in hominibus. Et si eijcit eos princeps ipsoꝝ, manifestum quod seipsum destruit. Etenim omne regnum diuisum & seditiosum destruitur, & domus diuisa cadit. Domū autē siue ædificiū intellexeris, bene: nam ædificiū quādiu cohibet se, & seruat continuitatem, consistit: ubi autem & muri dispescunt, cadit: Siue intellexeris eos qui inhabitant domum: nam hi quādiu pacifici sunt, conseruantur: quum autem inter se dissident, cadunt. Esto autem, quod ego eijciā dæmonia in Beelzebul: filij uestri, hoc est, apostoli, in quo eijcient: nōne manifestum qd in meo nomine? Quomodo igitur dicitis, quod ego eijciā in Beelzebul, quasi opus habeam illorū uirtute: quum filij uestri, sancti scilicet apostoli, in meo nomine dæmonia eijciant? Igitur ipsi condemnabunt uos. Manifestum enim, quod si illi in meo nomine eijciunt dæmonia, mihi non opus sit uirtute alterius. In digito ergo dei, hoc est in spiritu sancto eijcio, & non in malo spiritu. Digito autem spiritum dicit, ut scias quod sicut digitus est eiusdem substantiæ cum alio corpore, ita & spiritus eiusdem substantiæ est cum patre & filio. Fortassis autem & ideo, quia filius dicitur manus dei: & requieuerunt super eum septem efficaciæ spiritus: non quod per spiritum agatur, sed quia cōsubstantialis est spiritui. Vnum autem ex donis & efficacijs spiritus sancti est sanare: propterea dicitur in spiritu dei, hoc est in spiritali dono eijcere dæmonia. Nam sicut digitus pars est manus, ita & spiritus donationum pars fuit spiritū quos habuit Christus, hoc est operationum spiritus. Eapropter si eijcio (inquit) dæmonia efficacia diuinæ uirtutis, peruenit utiq; in uos regnū dei: quod talem habet sensum, destructum nunc est regnū diaboli, regnatq; deus qui dæmones effugat. Audi enim quid deinceps dicat.

Quum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Vbi uero fortior eo superueniens uicerit eum, uniuersa arma eius aufert, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Quū immūdus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arentia, quærens requiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam, unde exiui. Et quum uenerit, inuenit eam scopis mundatam atq; ornatam. tunc uadit, & assumit septem alios spiritus nequiores ipso, & ingressi habitant ibi, & fiūt extrema hominis illius peiora primis.] Fuit quidem (inquit) ante aduentum meum fortis satanas, & custodiebat atrium suum, hoc est præualebat & imperabat humanæ naturæ fortiter & secure. Vbi autem ego ueni illo fortior, & uici mundum: omniāque arma eius in quibus fidebat, omnia scilicet peccatorū genera. Illa enim arma sunt diaboli, in quibus fidebat & præualebat. Arma igitur inquam illa eius diripui ego q sine peccato inuentus. Vnde infirmata sunt & spolia eius, hoc est hoīes q̄s habebat, quasi spolia ab eo rapui, & trado ea, aliud alijs angelo si do custodi,

do custodi, ut pro dæmone, cuius tyrannidem tulerat, habeat angelum. Vel aliter; Ego ne communionem cum Beelzebub habeo: Meum opus est congregare filios dei dispersos, illius uero congregatos dispergere. Quomodo igitur de me cogitatis, quod communionem habeam cum sarana? Et profecto hæc cogitatio hinc oritur, quod dæmones magis nunc uos quàm olim premant. Etenim habuistis & olim immundum spiritum, qui habitabat in uobis, quando idola colebatis & prophetas occidebatis, & uisus est postea exire à uobis: at nunc redijt in domum suam, hoc est animas uestras, cum septē spiritibus, hoc est multis. Scriptura enim septem pro multis usurpat: fecitq; uobis extrema peiora primis. Quum enim idola coleretis, prophetasq; occideretis, nondum iniuria afflictebatis filium dei, qui nunc propter nos in carne apparuit. Nunc autem quæ spes salutis, quando & incarnato filio dei, qui & propter nos miracula operatus est, in tantam ingratitudinem & contumeliam proripuitis? Porro loca inaquosa, animæ sunt eorū, qui nihil aquosum & dissolutum habent: sed aridæ & sollicitæ sunt, in quibus nullam quietem inuenit spiritus immūdicæ. Et quoniam in talibus animabus malignus nullum domicilij locum inuenit, ad Iudæos reuertit, & fiunt ipsis posteriora deteriora primis: neq; adhuc habent prophetas, occiderunt enim uerbum: neq; unctionem, Christum enim crucifixerunt. Hæc enim in illis olim apparebant, quamuis idola colerent: nunc autem quia in filium dei peccarunt, omnibus illis priuati sunt.

Factum est autem, quum hæc diceret: extollens uocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimò, beati qui audiunt sermonem dei, & custodiunt illum. Turbis autem condensantibus se, cepit dicere: Natio hæc mala est, signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Nam sicut fuit Ionas signū Niniuitis, ita erit & filius hominis nationi isti. Regina Austri surget in iudicio cum uiris nationis huius, & condemnabit illos: quia uenit à finibus terræ, ut audiret sapientiam Solomonis: & ecce plus quàm Solomon hoc in loco. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum natione hac, & cōdemnabunt illam: quia ad poenitentiam adducti sunt prædicatione Ionæ: & ecce plus quàm Iona hoc in loco.] Phariseis et scribis miracula taxantibus, mulier simplex, doloq; carens illa celebrat. Vbi autem sunt qui dicunt dominum apparenter tantum apparuisse: Hæc igitur testis sit, quod & ubera lactent. Ipse uero beatos dicit illos, qui custodiunt sermonem dei: non destituens beatitudine matrem suam, absit: sed ostendit quod etiam illi nulla utilitas futura ex eo quod pepererit & lactauerit ipsum, nisi uirtutes alias omnes habeat. Insuper hæc & tempestiue dicit. Quia enim inuidi & inobedientes arguebant alios qui sermones eius audiebāt: Christus uero contra beatos dicit. Fortassis autem & propter sanatum surdum hæc dicit, ut & ipse quum audierit, faciat sermonem, & non fiat ei in condemnationem recepta audiēdi uirtus. Congregantibus autem se turbis, cepit Iesus reprehendere ingratos. Nam quoniam erant quidam apud eos, qui quærebant signum de cœlo fieri à Iesu. Dicebant enim: Signa quæ fecit, de terra sunt: & facit ea in Beelzebub mundi principe, qui potestatem habet terræ. De cœlo autem non poterit, eo quod non sit filius patris cœlestis. Quia autem fuerunt quidam hæc dicētes, eius gratia arguit eos dominus, & dicit: Dabitur uobis signum, id quod ostendet uobis me uerum filium cœlestis patris. Quale hoc? Ionæ signū, hoc est resurrectionis. Sicut enim ille tribus diebus fuit in uentre ceti, ita & ego tres dies faciam in uentre magni ceti, hoc est inferni, & resurgam. At Ionæ quidem postquàm reuixit ex uentre ceti, crediderunt Niniuitæ: mihi autem & quum resurrexero non credet generatio ista: unde condemnabitur, quod neq; Niniuitas sint imitati, quamuis maior nunc hic assit quàm Ionas. Nam & ob meā dignitatem & prædicationis genus, maior monstratur excellentia. Ego dominus, ille seruus: ego regnum cœlorum prædico, ille salutem ne perirent: ego cum miraculis, ille absq; miraculis. Similiter & regina Austri iudicabit nationem hanc, quia ex finibus terræ uenit ut audiret sapientiam Solomonis. Intelligas quoq; obsecro per reginā Austri, omnē animam quæ in bono ualida est & perseuerat. Et ut tale quid dicam, Aquilo in scriptura infamatur tanquàm aduersarij regio. Gelida enim est & rigida, ac mortua

Iona 2.

3. Reg. 10.

2. Paral. 9.

• *Cant. 4.* facit. Auster uero laudatur, ut uentus calidus, & uiuificans, & stupida membra confortans. Ideo & in Canticis sponsus Aquilonem fugans, dicit: Surge Aquilo, & ueni Austro. *Ioëlis 2.* Et iterum propheta dicit: Et eum qui ab Aquilone est, exterminabit dominus, fata nam scilicet. Igitur anima quæ regnat in Austro in bona parte spiritualis uitæ, & imperium habet in operibus, uenit ut audiat sapientiam, hoc est ad cōtemplationem ascēdit. Sapientia enim Solomonis, pacifici regis domini & dei nostri sapiētia est. Ad quam nō ueniet quis aliter, nisi regnauerit in bona uita, & per actiuam imperauerit.

Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neq; subter modium, sed super candelabrum: ut qui ingrediuntur, lumen uideant. Lucerna corporis est oculus. Quum igitur oculus tuus fuerit simplex, totum quoq; corpus tuum lucidum erit: quod si malus fuerit, etiam corpus tuum tenebrosus erit. Vide ergo, ne lumē quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum: sic erit lucidum totum, ut quum lucerna fulgore illuminat te. Quoniam inuidi ludæi miracula uidentes, ea calumniabantur ob mētis malitiā: eius gratia dominus hæc dicit. Quasi lucernam, hoc est noscēdi deum beneficium, quo uidemus ueluti si datum esset nobis lumen, homines abscondunt mentis iudicium, & præ inuidia obtenebrati, miracula & beneficia non uident: quamuis in hoc acceperimus mentem, ut super candelabrum ponamus, ut & alij lumen uideant. Videtur autem mihi hoc dicere: O pharisæe habes scientiam, hoc est lucernam, oportet te scientia illa uti, ut per eam agnoscas miracula, & alijs quoq; ostēdere & monstrare possis, qd' sint opera filij dei, & nō Beelzebul, ut hi qui ingrediuntur, hoc est nouitij, & qui instruuntur, lumen uideant. Nam qui sapiens est, iam ingressus est: qui autē discit, adhuc ingredi. At pharisæi uos hoc facere non uultis, sed oculum mētis uestræ, qui simplex erat, fecistis obliquum & obscurū. Etenim sicut oculus corporis si quid habet, hoc & corpus habere facit: si quidem lucem habet, ac lucidus fuerit, erit & corpus in luce: si tenebrosus fuerit, erit & illud in tenebris: Si mihi modo eundem affectum habet anima, quam habet mens. Et si inuenerit oculum quem accepit à deo, & lucem obtenebrari uel ab inuidia, uel ab auaritia, uel ut in summa dicam, carnalitate obtenebratur & ipsa.

Et quum loqueretur, rogauit illum quidā pharisæus, ut pranderet apud se. Iesus autem ingressus accubuit. Pharisæus autem quum uidisset, admiratus est, quod non prius lauisset ante prandium. Et ait dominus ad illum: Nunc uos pharisæi exteriora poculi, catinæq; mundatis: & quod intus est uestri, plenum est rapina & malitia: stulti, nōne qui fecit quod foris est, etiam id quod intus est fecit? Veruntamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis. Sciebat quidem pharisæorum liuorem dominus, & nihilominus comedit cum eis, propter istucipsum quod mali erant, & correctione opus habebant. Nam propter hoc comedit cum eis, ut occasione apprehendat, & eorum mores emendet. Prōinde & nunc stultam eorum consuetudinem taxat, nempe lotionem antequam comedant: docens quod oporteat animā per bona opera purificare: nam lauare aqua, non animam, sed corpus purificat. At stulti illi putabant, quod cum corpore quando baptizabatur & lauabatur, simul & anima purgaretur. Dominus igitur pulchro calicis exemplo usus est. Quia enim tempus erat mensæ, calicis, & catini meminit, ab his quæ ob oculos sita erāt testimonium afferens, & persuadens pharisæis, quod sicut nulla quidem utilitas extrinsecus mundum esse poculum, intrinsecus autem impletum esse sordibus: sic neq; si corpus baptizetur, anima autē omni plena sit immundicia, utpote rapina & malitia. Insinuauit autem duas affectiones, quibus laborabant ludæi: auaritiā per rapinam, inuidiā autem & quæ ex inuidia proueniūt, per malitiā. Nulla igitur utilitas est, quando sic habet anima stulti. Nōne qui fecit corpus quod multa cura dignaris, etiam animam fecit? debes igitur & illam purgare. Deinde docet eos, quomodo purgandū sit, nēpe quod interius, per eleemosynā, inquit. Vide autem quomodo duas illorum affectiones sanat, inuidiā dico & rapinā, per hoc quod subiicit eleemosynā. Nā qui uere miseretur, non inuidet ei qui misericordiā assequitur. Et quia duos morbos eis exprobrauit, uno remedio eleemosynæ utrūq; sanat, quæ prima est

ma est filia deificatis charitatis. Si enim affuerit dilectio, ubi manebit auaritia & inuidia? Ea quæ insunt igitur, hoc est facultates uestras. Bene dixit, ea quæ insunt: & non dixit, ea quæ sunt: eo quod diuitiæ insunt in corde avari, & sedent in eo. Ideo & Dauid dicit, non apponendum cor diuitijs, hoc est ne agglutinetur, nec colligetur eis cor. psal. 61.

Sed uæ uobis pharisæis, quia decimatis mentam & rutam, & quod uis olus, & præteritis iudicium & charitatem dei: immo hæc oportuit facere, & illa non omittere. Væ uobis pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia estis ut monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes super, nesciunt. Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens etiam nos afficis contumelia. At ille ait: Et uobis legisperitis uæ, quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt: & ipsi uno digito uestro non attingitis sarcinas. Væ uobis, quia ædificatis monumenta prophetarum: patres autem uestri occiderunt illos: profecto testamini, quod comprobatis facta patrum uestrorum, quoniam illi quidem eos occiderunt, uos autem ædificatis eorum sepulchra. Propterea & sapientia dei dixit: Mitti ad illos prophetas, & apostolos, & ex illis occident & persequuntur: ut requiratur sanguis omnium prophetarum, qui effunditur à constitutione mundi, à natione ista, à sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem: profecto dico uobis, requiretur ab hac natione. Genes. 4.
2. Paralip. 24. Pharisei ne transgredierentur in ullo legem, decimas & de minimis dabant. Et si quis illos reprehendebat, tam paruorum rerum rationem habentes, legem proferebant, quæ de omnibus decimas afferri sacerdotibus præcipiebat. Itaque dominus dicit: Sicut illa non negligitis, ita oportet uos & iudicium & dilectionem dei facere. Quoniam iniusti erant, uiduasque & orphanos perfundebant, dicit quod oporteat eos habere iudicium, hoc est iustum iudiciū. Et quia contemptores erant dei, temere sacerdotalibus operibus se credentes, idcirco præcipit eis, ut charitatem dei habeant. Nam qui diligit deum, non contemptim facit opera eius. Fortassis autem, ut mihi uideatur, quoniam duæ sunt dilectionis species, una erga deum, altera erga proximum, duas illas insinuat. Dicendo enim iudicium, indicat dilectionem erga proximum. Iuste enim iudicare proximum, & non conculcare eum, ex dilectione fit. Dicendo uero dilectionem dei, omnino significat generalem affectionem erga deum. Et quando quis diligit proximum, non propter uiduam quandam uel turpem affectionem, sed iuxta deum: itaque & illa dilectio dei dicta fuerit, quod eam mandauerit deus. Volebant autem pharisæi ab omnibus hominibus honorari & salutari, ut doctores in foro. Hoc enim uult saluatio & appellatio. Similes igitur estis (inquit) monumentis, quæ plena quidem sunt omni putredine, extrinsecus autem marmore fulgere uident homines, nescientes quid calcent, alioquin abominarentur abominationem quæ intra est. Legisperitus uero stulte ad reprehendendum procedit. Sanè alij erant legisperiti, & alij pharisæi. Nam pharisæi uidebantur ut monachi, & qui ab alijs se segregabant. Legisperiti uero scribæ erant & doctores, qui soluebant quæstiones legis. Onerabant itaque homines grauib & intolerabilibus, mandantes eis ea quæ in lege obseruatu difficilia, & ipsi neque digito attingebant, hoc est, ipsi nihil ex his quæ alij imperabāt faciebāt. Nam quando docens facit quæ docet, alleuiat onera, exemploque suo consolationem affert discipulis. Quando autem nihil horum facit quæ docet, tunc quæ docet graui onera uidentur discipulis: ita ut à doctore nullam rectefaciendi uim accipiant. Declarat quoque dominus ludæos nepotes ac hæredes malitiæ Cain, eo quod dicit quod omnis sanguis effusus ab Abel usque ad Zachariam, à natione ista expetetur. Etenim uos prophetas, qui erant fratres uestri, occidistis, sicut ille Abel. Vnde quidam non absurde numerauerunt Cain inter eos, qui prophetas occiderunt: à quo uindictæ exquisitæ sunt septem, supplicio scilicet leuiore. Lamech autem inter eos qui occiderunt Christum. Et ideo septuagies septem ultiones dederunt, dispersi in captiuitatem, à qua non redibunt. Quis autem fuit Zachariæ, quem occiderunt inter templum & altare? Alij quidem dicunt fuisse Zachariam filium loadæ, quem lapidarunt, ut discimus ex libro Regum. Alij uero patrem præcuroris, eo quod ille ordinauerat dei genitricem cum uirginibus, etiam

postquam peperisset Christum, & cōstituerat eum in loco quo illæ stant: hic enim locus est inter tēplū & altare, qd' est extra aereū: & propterea occiderunt eum. Nam quia expectabant Christum quendam regē suum futurum, nolebant autem regē ferre, ideo occiderunt sanctum, qui asseruerat uirginem peperisse, & Christum natū esse regnaturum super eos, quod auersabantur: absq; enim rege uolebant esse.

Væ uobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, uetulistis. Quum autem hæc ad illos diceret, coeperunt legisperiti & pharisæi grauius insistere, & captiose eum interrogare de multis, insidiantes ei: & quærentes aliquid uenari ex ore eius, quo accusarent eum. Clauem scientiæ nominauit dominus doctrinam, & legis manuuctionem, quæ ualebat adducere ad Christum. Lex enim omnino nos ad Christum manuuct. Legisperiti igitur, qui uidebantur sibi interpretari recte legem, scientiæ clauem maligne tenebant, & non aperiebant ianuas legis, per quas intrarent & ipsi & populus ad Christum: quandoquidē lex ianua est ad Christum. Veruntamen ianua ista clausa est, nisi quis obscuritatem legis manifestet & aperiat, faciatis manifestam. Etenim dominus dixit: Si credidissetis Moysi, credidissetis utiq; & mihi. Et iterum: Scrutamini scripturas, quoniam istæ sunt quæ testimonium perhibent de me, & uos non uultis uenire ad me. Et ut exempli gratia unum ostendam: Agnus immolabatur iudeis, & ungebantur superliminaria, & carnes comedebant, & erat eis uictoria contra exterminatores. Significabat hoc planè mysterium Christi, quo ut agnus immaculatus, & puero occiso perfusi sunt nostri postes ira & concupiscentia, & horum superliminare, rationalis uis: carnemq; filij hominis comedimus, & uicimus quidem animales nostras uirtutes perdentem. Et pleraq; in lege Christū significabant. Clausa enim erat lex obscuritate literæ, quasi ianua quadam. Si autē cuiuspiam doctrina concredita fuerit, hic habet clauem scientiæ: & si uoluerit aperire, & ipse intrabit, & alij dux erit: id quod legisperiti non fecerunt, sed tulerunt clauem scientiæ, hoc est absconderunt, obscurarunt, & iam quasi clauis medio sublata, hoc est legis interpretatione, mansit clausa eius ianua. Intelligas item & fidem clauem esse scientiæ. Per fidē datur uera scientia, unde propheta Esaias dicit: Et nisi credideritis, non intelligetis. Igitur legisperiti clauem hanc, hoc est fidem medio abstulerunt & absconderunt. Non enim sinebāt quosdam credere in Christum omnium saluatorem. Ille miracula faciebat, & populus per miracula credens, agnitus erat deus. At hi in Beelzebul dicebant eijcere dæmonia. Vides quomodo abstulerunt clauem scientiæ, non sinentes credere id per quod scientia illi acquiri erant. Docebat enim in synagogis uoluntatem dei illi autem dicebant, Dæmonium habet, & insanit, quid illum auditis? Tulerunt igitur uere clauem scientiæ, & ipsi ingressi non sunt: & alios prohibuerunt, maxime ingredientiē, hoc est studiosos cognitionis diuinæ. Illo autē adhuc loquente hæc, illi quasi attestarentur dicta eius, ostentarunt se illo aliquatenus sapientiores, atq; occludere illi os (quod Græci dicūt ἀποσοματίζω) incipiebant, hoc est frequenter interrogare, & perplexū facere. Id quod fieri solet, quando plures interrogant unum de alijs atq; alijs argumentis: tūc enim qui respondere non ualet omnibus, specimē ac indicium stulti exhibet, eo quod perplexus sit redditus. Hoc igitur struebant & maledicti illi contra Christum. Multi enim interrogantes unum, uidebantur illi os occludere, & perplexum reddere: ita ut non posset eis respondere id quod uerissimiliter accidit. Quomodo enim unus posset multis respondere, alia ac alia interrogantibus? Potest autem & os occludere, & ἀποσοματίζω sic intelligi, hoc est illaqueare, & ob testimonium oris quē apprehendere. Quando enim apprehenditur ac capitur ex his quæ ipse dicit, uidetur ab ore capi, & ab ore suo rapi atq; condemnari. Porro & sequentia hoc declarant. Quærentes enim inquit, uenari quippiam ex ore illius: quod enim paulò antea dixerat os eius occludere, hoc nunc dicit uenari quippiam ex ore eius. Interrogabant autem ipsum de lege, ut eum blasphemum arguant, qui Moysen taxasset, hoc enim suspicabant. Aliquando interrogat de his quæ ad Cæsarē atinebant, ut eum denuncient seditiosum & tyrannidis studiosum, & omnino talia qualia animæ pessimæ & malignissimæ, ac omni iniquitate plenæ excogitent.